



in nupera disputatione, quae *Ius mundi vniuersale* inscribitur, a P R A E S I D E de Primis Naturae vberius tradita repetere, in qua demonstrauit, de eo, quod in omni animanti reperitur, quin iustum sit, dubitari non posse. Omnes ergo instinctus bonos videri nec, qui hanc naturae vocem audiat, vlo modo aberrare. Sane, quae liber quisque constantissime facit, ea necessario etiam cupit et vult. Nam si fieri nollet, facturus non erat. Sunt ergo Prima Naturae, vt CICERO vocat, voluntatis diuinae certissima signa. Nemo enim prudens ea facit, quae detestatur et odit. Itaque qui vim Veneris sentiunt et in contrahendo matrimonio vel hanc solam sequuntur, peccare vix vlo modo possunt, cum naturam habeant comitem et ducem fidelissimam, quae ipsam viam struit, quam nos incedere iubet, naturam inquam, quae stimulos addit et segniores impellit, quae nihil frustra facit. Factura autem fuisset frustra admodum multa, si nos appetitibus, quos ipsa fabricata est, vti fruique nollet. Magni ergo naturalem ad fugienda quaedam et facienda instinctum facio. *) Ille, vt ipse Pontifex Maximus in *can. 7. dist. 1.* agnoscit, iuris omnis quasi fundamentum,

Ille quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias.

Itaque, vt ad praesentem quaeftionem reuertamur, si, an matrimonium ad restinguendum cupidinis ardorem a foemina initum vel viro, sanctum iustumque videri debeat? subdubites, ad specula naturae illa clarissima, bestias, ad caetera te animantia voco et ad V I R G I L I I versus:

*Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres
In furias ignemque ruunt. AMOR OMNIBVS IDEM.*

§. XII.

*) vide disp. Praefidis: *Ius mundi vniuersale* Cap. 6.